



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866

Maximiliano Regio Hungariæ Et Bohemiæ Principi Archiduci Austriæ Duci
Burgundiæ, Lotharingiæ Etc., Magni Magisterii In Prussia Administratori
Militiæ Ordinis Teutonici Per Germaniam Et Partes ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

MAXIMILIANO

REGIO HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ PRINCIPI

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

DUCI BURGUNDIÆ, LOTHARINGIÆ ETC., MAGNI MAGISTERII IN PRUSSIA
ADMINISTRATORI

MILITIÆ ORDINIS TEUTONICI

PER GERMANIAM ET PARTES TRANSMARINAS

MAGNO MAGISTRO

COLONIENSI ET MONASTERIENSI

COADJUTORI

COMITI HABSPURGI, TYROLIS ETC., DOMINO IN FREUDENTHAL
ET EULENBERG.

Annus jam, SERENISSIME ARCHIDUX, supra septuagesimumolvebatur octavus, ex quo Bollandianum Opus, Augustissimæ Domus Tuæ patrocínio ac Regia prorsus munificentia suffultum, auspiciatissime procedebat; jam ultima anni sacri pars trimestris felicibus auspiciis Augustissimæ Matris Tuæ, Magnæ MARIE TERESIÆ, Romanorum Imperatricis, Hungariæ et Bohemiæ Reginæ, Domine nostræ vere Clementissimæ ac Fautricis perpetuæ prospero in cursu erat; jam triginta omnino non exiguæ molis volumina Cæsareæ Domus Principibus, quorum etiam immortalia nomina, tomis singulis præfixa, incredibile Operi contulerant ornamentum, fuerant dedicata; cum eruditi fere omnes non modo, ne inopinato totique orbi notissimo casu lucubrationum nostrarum filum interrumperetur, sed et plane præcideretur, vehementer extimescere cœperunt. At vero, quibus perpetua Austriacæ Domus in Deum pietas et in cœlites universos studium perenne magis erant perspecta, meliora de Sanctorum Actis augurabantur. Hi nimirum animoolvebant, quam munificam ac pene profusam religiosissima Parens Tua Operis nostri Patronam atque Matrem per tot annorum seriem Sese exhibisset: quam ardentibus Ei semper in votis fuisset, Supremi Numinis

Octobris Tomus IV.

4 cultum



cultum omniumque Sanctorum venerationem quaquaversum diffundere, diffusum tueri ac sartum tectumque pro viribus conservare. Noverant præterea, PRINCEPS REGIE, quot quantisque muneribus Eadem Mater Tua ad promovenda Suis in regnis provinciisque sacrarum præsertim scientiarum studia eruditorum animos pellexisset semper atque accendisset. Neque eos spes tantis nixa præsiidiis ullatenus fefellit. Ecce enim, faventibus Superis, omnibus secundum Deum propitiis Cœlitibus, patrociniū opemque MARIA TERESIA, Regina vere Apostolica, ultro conferente, Sanctorum Acta respirant, ac quinquagesimus vastissimi Operis tomus munificentissimæ Matris Tuæ subsidio prodit in lucem. Tanto porro hoc nobis accidit jucundius, quanto præclarior nobiscum actum arbitramur, quod ex Regio Illius nutu novissimum hunc vigiliarum nostrarum fructum atque Operis nostri, Ejusdem beneficio veluti reviviscens, factum ad Tuos, SERENISSIME PRINCEPS, pedes, qua par est, veneratione liceat deponere. Et verò quotusquisque edicat, quantus inde lucubrationibus nostris splendor, quantum universo Bollandiano Operi accessurum sit ornamentum? Jam Cæsarem, Proavorum Tuorum, Leopoldi Magni, Josephi I; jam Avi Tui Caroli VI semper Augusti; jam Augustissimorum Parentum Tuorum Francisci Imperatoris ac MARIE TERESIAE, feliciter divino munere imperantis; jam denique Serenissimorum Fratrum Sororumque Tuarum omnium nominibus, in secula perennaturis, Sanctorum Acta decorata videbantur. Unus e numerosa fecundissimæ Domus progenie, PRINCEPS, desiderabare, a quo eadem Acta indelebile nomen essent mutuatura. Suscipe igitur nostrum hoc, immo Matris Tuæ munus eo favore, quo Austriaci Sanguinis Principes solent omnia; ea vultus serenitate, quam, dum nuper Belgii nostri provincias perlustrabas, urbes, oppida, loca quævis summis laudibus extulerunt. Neque ulli dubitamus, quin a Serenitate Tua, quam sibi et Ordo Teutonicus Supremum Magistrum, et Coloniensis ac Monasteriensis Præsul Adjutorem dignissimum obtigisse merito lætantur, summa sit benevolentia suscipiendum, quod Cæsareæ stirpis Archiduces clientum suorum vota tanto suscipere consueverunt benignius, quanto ad altiora pro meritis fastigia evehuntur. Quo beneficio nobis immerentibus præstito, numquam Deum Ter Optimum Maximum enixe deprecari cessabimus, ut Te cum Augustissima Parente, cujus singulari munificentia nostrum hoc Opus vigori pristino est restitutum, cum Invictissimo Romani Imperii Capite Josepho II, cumque aliis Serenissimis Fratribus ac Sororibus Tuis salvum diu atque incolumem servare dignetur.

PRINCEPS REGIE

SERENITATIS TUÆ

Devotissimi Clientes

CORNELIUS BYEUS

JACOBUS BUEUS

IGNATIUS HUBENUS